

Petrus de Pretio, 1229?-1269

*PdP Epistola 9 (Instantis
acerbi doloris expressio...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Pretio, 1229?-1269

*PdP Epistola 9 (Instantis
acerbi doloris expressio...)*

1248

Instantis acerbi doloris expressio si nostro posset silencio preteriri, quod ad vestram noticiam alterius relacio non perferret, nostra libenter digito labia clauderemus, ne cor vestrum eius aculeo perungeremus! Libencius quidem vestris sensibus gaudiorum materiam littere presentes offerrent, quorum fore participem cognoscerent dirigentem, quam lugubris cause venenum vestro gustui propinarent, cuius eum pro certo coniciunt participio condolere. Quia diu verumtamen vobis non posset non esse notorium, quod hiis diebus evenit, per nos potius quam per alium id vobis elegimus relevandum, qui non ignoramus per seriem huius negotii qualitatem. Ecce enim, quod dolendo referimus et referendo dolemus. T...us nobilis frater vester, dum ad custodiam talis loci mandante imperiali culmine presideret et eventu sinistro ipsum inermem et stipatum perpaucis venatum contingeret proficisci, quorundam equitum Parme domini nostri rebellium, qui prope terram ipsam ad insidias latitabant, eundem fuge refugium petere dedignantem undique repentinus conclusit conclusus. Qui licet se defensione mirabili tueretur, nequivit tandem tot impugnantium manus evadere, quin de sua strenuitate confisus confusus existeret et captus percussusque letaliter ab eis Parmam continuo duceretur, ubi sic adversus eum plagarum dolor incanduit, quod, sicut Domino placuit, ad Dominum expiravit. Ob cuius modum mortis et mortem, etsi velut natura suggerente fugere vos oporteat calicem Babilonis, eius tamen amaritudine cum aqua sapientie temperata et considerato prudenter, quod non, ut omne genus hominum in terris simili consurgit ab ortu, tendit similem ad occasum, sed cede perit, carcere perit et aliis mille modis perit, adsit vobis efficax tristicie medicina et

licet ipse carnis ydemptitate germanus vester extiterit, carus admodum vobis extiterit, elegans et strenuus miles estiterit, de ipsius acerbo casu nihilominus vestra nobilitas ex causis plurimis consoletur, quod legibus evi moriturus erat, penitus consoletur, quod obiit militanter et strenue, consoletur, quod in serviciis strenuissimi principis occidit, potissime consoletur. Nos autem, qui vobis in merore compatimur instanti prece requirimus et pro munere postulamus, quod sic ex eius obitu moderate vestra nobilitas doleat, quod metam tristicie non excedat et saltem ob reverendam imperialis culminis, in cuius negociis occidit, per quod in perpetuum vivere per gloriam reputatur, refrenetur impetus singultuum et effusio lacrimarum, ut in simili casu non inutile sitis aliis consolacionis speculum ante faciem aliorum.